

MERITA
**IN SANCTAM ROMANAM
 ECCLESIA M.**

**ET
 SAC. ROMANUM IMPERIUM**

AB HOC, ETILLA

NOVIS HONORIBUS ILLUSTRATA,
 DUM AB AUGUSTISSIMO, ET IN-
 VICTISSIMO ROMANORUM IMPERATORE,
 ET HISPANIARUM REGE CATHOLICO

CAROLO VI.

**EMINENTISSIMUS, & REVERENDISSIMUS
 DOMINUS, DOMINUS**

DAMIANUS HUGO,
 S.R.E. CARDINALIS

DE SCHOÖNBORN,

Ord. Teutonici Eques, & per Ballivias, Haf-
 fiacain, & Altenbisensem, seu Belgicam Commendator,
 Sac. Cæs & Reg. Cath. Majestatis

INTIMUS CONSILIARIUS

In Templo Aulico Purpureo pileo insigniretur,
 brevi dictione celebrata

¶ P. FRANCISCO XAVERIO BREAN, è Soc. JESU,
 Sac. Cæs. & Reg. Cath. Majestatis Concionatore Aulico.
 Die Mensis Decembris Anno M. DCC XV.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Andreæ Heyinger Universit. Typograph.

TA-314722



MINERVA

ASSISTANT TO THE CHIEF LIBRARIAN
LIBRARY AND INFORMATION CENTER
UNIVERSITY OF THE PHILIPPINES
MANILA

LIBRARY
UNIVERSITY OF THE PHILIPPINES
MANILA

45.889

DS-2020-6200



Ugustis imperijs, & Tuis devota
honoribus adest oratio, Princeps Eminentissime! sed dum in Tua, Tuorum
que præclara facinora primos obtutus
conjicit, ob rerum gestarum copiam,
& argumenti magnitudinem in ipso dubia hæret di-
cendi principio. Quid agat? an Te à Majoribus tuis
sagô, togâ, insulis per omnem Germaniam longè
clarissimis, an verò à Te, qui impressa in honorum
culmine Eorum vestigia rapido cursu insectaris, Illos
potissimum celebret? ad amplissimas tam in sacra,
quam Civili Republica dignitates, nobilitatis vetustis-
simæ stimulis, & virtutis ope eniti, Illi ploribus jam
fæculis habuere proprium: felicitatis Tuæ magnitu-
do id sibi singulare vendicat, quod in Te uno dignis
honoribus exornando Serenissimus Rex, Augustissi-
mus Cæsar, Sanctissimus Pontifex, vota, studia, ac
voluntates conjunxerint. Purpuram, par virtuti,
meritisque tuis præmium Fridericus Augustus expe-
tit, Clemens XI. decretit, Carolus VI. tanti hodie
honiis insignia Cæsareâ dexterâ impertitur. Video
Romanæ quæ Ecclesiæ Sanctitatem, ac Imperij Maje-
statem

statem cum Tuis, Tuorūmque amplissimis meritis
in certamen descendere; hæc in utriusque felicitate,
viribus, studijs, effuso etiam sanguine procuranda,
Illas in Familia Tua novis continuo honoribus exor-
handa. Utrūmque est, quod gratulationis hodiernæ ar-
gumentum suggerit; cùm honores Tui, à Tuis, Tuorūmque virtutibus separari nequeant. Patière Prin-
ceps Eminentissime! ut in tanta dictionis vastitate,
pictorum more agam, qui rerum copiam, ac magni-
tudinem umbræ potissimum adjumento in exiguum
tabulam conjiciunt: facinora, quæ Europam omnem
illustrarunt, adumbrabit oratio. Ne facundia usu, &
viribus destituta splendoris quidpiam adimat, in ea,
quæ de Te, Tuosque dicturus sum, oculos animos-
que attolli, ab humili verò, & Confessu hoc, ac lau-
dibus Tuis omnino impari dicendi genere penitus a-
verti obtestatur.

Tua, Tuorūmque in Romanam Ecclesiam, &
Romanum Imperium singularia merita & utriusque
in Te, Tuosque amplissimi favores, dictionis hodiernæ argumentum sunt. Agam de singulis, & cùm
Imperij, ac Ecclesiæ Romanæ felicitas arctissimo vin-
culo connexa sit; ab his, quæ pro illo, adea, quæ pro
ista à vetustissima Prosapia Tua (a) sex & amplius

Sæcu-

(a) Sub finem sæculi duodecimi vixit Eustachius, vel, ut Imhoff in not. Sac. Rom. Germ. Imp. Procerum l. 8. c. 8. scribit Eucharius de Schönborn. Izòd sepulchralis inscriptio in insula Rhodo reperta Equitem Rhodium, seu Melitensem ex hac familia, vel
sæculo undecimo sub Godefrido Bullionio, vel post sub Imperatoribus Germanicis chri-
stianæ arma in Palestinanæ tulisse testatur.

Sæculorum decursu , ad hæc usque tempora, fortiter
& præclarè gesta sunt , descendet oratio. Duo præci-
puè sunt , quibus Imperij felicitas innititur , arma , &
consilia , bellica disciplina , & civilis cura reipublicæ .
Quanti velsagô , vel togâ Majores Tui , quantus Tu ,
Princeps Purpureate ! vidit Pannonia utraque Er-
winum Belli - Ducem fortissimum , qui pluribus
ab hinc sæculis sub Alberto Austriæ Marchione per
nostras , & Hungariæ terras militarem nominis sui fa-
mam diffudit. Vedit Austria Conradum , sub Cæ-
sareæ Domûs nostræ Fundatore Rudolpho Habspur-
gico , in conterminis Moraviæ campis adversùs Impe-
riij æmulum Ottocarum strenuè decertantem , & pro
vindicanda Austriæ dignitate vidit Heroëm fortissi-
mum triumpho immortuum. (b) Gebhardum Ve-
strum videre juga Helvetiæ , & ad tantam Viri Vir-
tutem inimicæ rupes commotæ sunt ; dum post in-
faustum Sempacense prælium , Leopoldum Archidu-
cem , & Gebhardum Legionis validissimæ tribunum ,
vulneribus confectos , eadem in statione , & mutuo
propè in complexu reperere exanimes. (c) sicut hic
posteritas , & militarem æquè gentis Vestræ fortitudi-
nem , ac in tutando Austriaco Imperio fidelitatem ,
ad nominis immortalitatem sanguine Vestro his saxis
inscriptam leget.

A 3

Sed

(b) Occupavit in Marchfeld A. 1278. (c) A. 1385. in prælio ad Sempach com-
missio.

Sed quid ea solum commemoro, quae integris fæculis à nobis remota sunt? *Anselmum Franciscum*, fratrem charissimum, quin Te ipsum, Tibi sisto, *Damiane Hugo!* bellicos illius animos Italia, Germania, Hungaria, & Belgium suspexere, & quantus olim pro Cæfare, & Imperio futurus sit, non vano auguriō, sed ex fortiter gestis, optimo futurorum indice, præsagiunt. Tu ipse sub Heroë magno militiæ rudimenta posuisti, & per sanguinea Majorum vestigia ad bellicæ gloriæ apicem contendisses, nisi Jovis consilia, ex Martis arena Te abstraxissent, Tuāmque sibi sagacitatem, perspicaciam, ac prudentiam vendicâssent. Quid multa? heroos spiritus vestros, nobiliissimi tam Melitensis, quām Teutonicæ militiæ Sacri Ordines contestantur, dum gentis vestræ nomina per plura saecula (d) ostentant: quorum postremus vix Te sibi adstrinxerat; cùm collato per Hassiam Provinciali imperio reliquos inter eminere voluit.

Illustrem sagô, togâ illustriorem Nomum Vestram omnis Europa celebrat: neque enim armis tribuenda gloria, quæ fortunæ impetu nascitur; civilis prudentia, & consilia sunt, quæ inter varios belli casus reipublicæ felicitatem stabiliunt. Quām vastum mihi hic laudis theatrum paviditur? dum in penetrandis arcanis ingenij, animique aciem, in rebus gerendis dexteris

(d) Epitaphium sup. cit. de Melitensi testatur: Teutonico vero Wilhelmus per Balliviam Lotharingiæ Commendator Anno 1506. Joannes 1545. & Joannes Philippus 1560. inscripti fuerunt.

teritatem, in evolvendis negotijs felicitatem, summam
denique in consilijs maturitatem, ac prudentiam Tibi,
Tuīsque propè congenitam intueor. Ne quid assen-
tationi tribuere videar, ad Cæsarum, ad Electorum, ad
Principum Germaniæ aulas, ad publica Imperij comitia
appello : an non Majores, vel fraterno Tibi sanguine
juncti in sanctiora ubique sunt evocati consilia ? an
non, seu domi, seu ob:itis in legationibus gravissima,
& implicata negotia feliciter evolverunt ? an non vel
morum suavitate, vel incredibili persuadendi efficaciâ
ea ubique cœpérunt, fortiterque prosecuti sunt, quæ
turbatissimis etiam temporibus aut pristinam tranquil-
litatem restituerunt , aut publicam Romani Imperij
salutem stabilierunt, aut gloriam , & incrementum pro-
moverunt?

Bina Domûs vestræ fulgidissima sidera *Joannes*
Philippus, & Lotharius Franciscus, Sacri Romani Imperij
Electores, hic oculos , animosque insolito lucis suæ
fulgore perstringunt. Certavêre Moguntinæ, Herbi-
polenses, Wormatienses, & Bambergenses Insulæ , ut
in tantorum Principum sacro vertice conquiescerent.
Virtutes utriusque , quas condignis laudibus celebrare
nequeo, demissô silentiô veneror; sed me tacente Eu-
ropa, Germania, Austria loquantur, quanta pace, bel-
loque , pro DEO , pro Cæsare , pro Patria, ære, milite,
vigilantiâ , ope, & consilio gesserint. Illud addo, pub-
licéque contestor, Romanum Imperium sæuos inter,
quibus continuâ jactabatur, turbines , suam utriusque
& in-

& incolumitatem, & felicitatem vel ex eodebere, quod
Cæsaream uterque dignitatem, cum Austriaca Potentia
semper coniunctam voluerit: tum Ratisbonensia, tum
iterata Francofurti comitia repetamus animo: ubi pro
Ferdinando IV. & Leopoldo M. scissis etiam partium
studiō Electoribus, fortiter stetit, & immobili animi
constantia electionem promovit Joannes Philippus,
Carolo VI. Imperij Germanici coronam votis priūm
contulit, tum & Sacratissimo Vertici Lotharius Fran-
ciscus imposuit.

Ut à Tuis, ad Te propius accedat, Melchiorem
Fridericum, & *Fridericum Carolum*, illum Genitorem,
hunc Fratrem Excellentissimum paucis attingit oratio.
Illi sapientiam, integritatem, & indefessam propub-
lico Imperij Romani bono industriam tres Cæsares,
quinque Electores contestati sunt, à quibus in sanctio-
ra adlectus consilia, & gravissimorum negotiorum
mole, nescio, an plūs oneratus, an ornatus est. Pax
Riswicensis Melchioris pro Germania solicitudinem,
deprædicat, & imposita medios inter belli turbines,
Josepho duodenni Augustæ Vindelicorum corona, quo
in Romanum æquè, ac Austriacum Imperium, studio
ac fidelitate Vir ille semper fuerit, immortale moni-
mentum erit. Filij à tanto Parente minimè degeneris
Friderici Caroli doctrinam, eruditionem, magnanimi-
tatem, reliquasque virtutes, non est, quod commemo-
rem: amplissima dignitas, quam Magni Patrui Vica-
rius

rius sub altero jam Cæsare pro Germaniæ totius emolumento sustinet , vis eloquentiæ , morum suavitas , subitis in casibus consiliorum promptitudo , & animi constantia , res denique gestæ Friderici Caroli famam altius extollunt , quām ut dictio assequatur.

A Tuis itaque ad Te convertitur , Princeps Eminentissime ! singulares animi dotes , & quidquid haec tenus in Majoribus Tuis dilaudavit , traduce unâ cum sanguine in Te derivatum intuetur . Capacem scientiarum omnium animum subtilioribus disciplinis eo sub Magistro , (e) cui singularis pariter doctrina purpuram contulit , imbuit Roma ; legum , & publici præcipue Juris notitiâ Belgium excoluit . Inter consilia , & rerum maximarum tractationem adolevisti , & prudentiâ , rerumque gerendarum peritiâ ætatem superasti : Ordo Teutonicus Tua in Juventute eam suspexit , ut Te vix assumptum , ad aulam Pontificiam Legatum destinârit , & non multos post annos Josepho Cæsari solenne , omnium nomine , homagium præstare jusserit . Vedit , & penetravit indeolem Tuam Cæsar sagacissimus , & per utriusque Saxonie Circulum Germanici Imperij utilitates Te curare voluit . Obtulit se illico negotium Tuâ dignum & magnanimitate , & solicitudine , Hamburgum scilicet Germaniæ inferioris emporium nobilissimum , intestinâ civium in Magistratus seditione

B. con-

(e) Sub Joan. Bap. Ptolomei è S. J. nunc S. R. E. Cardinale.

concuſſum. Res ardua, ſed vel ideo Tuæ induſtriae
committenda. Arma adduxiſti, ut turbatae urbi pa-
cem tribueres; plurium annorum ſpatio mille curas
exhausiſti, quin & caput, inter concitatæ plebis tu-
multus, non raro periculis objecisti. Svavitate tan-
dem, ac fortitudine Tuâ Cæſareis imperijs reveren-
tiam, Magistratibus obedientiam, Iuſtitiæ vigorem,
commercio ſecuritatem, Urbi pacem, ac quietem tri-
buisti: flammam, quæ ingens minabatur incendium,
opprefiſti, quin tamen ſeditiosorum ſanguine re-
ſtingueres. Meruisti hinc Coronam Civicam, dignus
certè, cui, dum ſtabit, Urbs ampliſſima ob ſervatos
Cives perenne trophæum fit. Quam urbi tribuisti,
à dexteritate Tua pacem ſperavit omnis Septentrio:
convolāſti Brunſwicum, interpoſuisti Cæſaris Maxi-
mi officia, operam omnem impendiſti, ut periculo-
ſum Germaniæ bellum opprimeres: tametí autem
ferreus armorum ardor conatus Tuos, totque po-
pulorum vota haſtenus eluſerit, ex jactis tamen à
Te ſeminibus naſcituros pacis fructus expeſtat. Ex
plurimis pauca, brevitérque attigi: quæ enim egeris,
quām vigili curā, & ſolerti induſtria in id incubue-
ris, ut ſparsō Septentrionalis belli incendio, varias
Urbes, ac Provincias flammis, cladibus, ac ruinæ
eriperes, æternæ posterorum memoriæ annales com-
mendabunt: id unum omnium animis altè impres-
ſum cupid oratio, quidquid armis, consilijs, legatio-
nibus

nibus Tu, Tuique præstitere, pro Austriacæ potentia, seu securitate, seu augmento Vos ferè semper vires, sudorem, ac sanguinem impendisse. His sua in Imperium Romanum merita Domus vestra complexa, his contestata est: non posse non in Germania totius felicitatem cedere, quod in Austria emolumenntum, & gloriam agitur: illius fortunam, hujus potentia insistere: hostem esse Romani Imperij, qui Austriae devotus non sit.

Ab Imperio, ad Romanam Ecclesiam progredivit oratio: ne verò præscriptos excedat limites; assumpta à Tuis pro recuperanda Syria, in primis Christianorum expeditionibus arma; (f) fides ac sincera religio vigilantiâ, impensis, fervore omni, ac collata ope, in subditis, imd exteris etiam terris à Joanne Philippo, & Lothario Francisco stabilita, & propagata; Elisabetha Christina Maximi Cæsaris Conjunx Augustissima, quæ Divino impulsa spiritu prius obsequens Ecclesiæ filia, quām tot Coronarum Domina esse voluit, in ejusdem gremium ab hoc Eminentissimo Patruo Tuo, solenni primū ad aras juramentō recepta. (g) Hæc, aliisque innumera, ut ut præclara, & insolita præterit, & ad ea, quæ tibi propria sunt, incitato cursu contendit. Templa in Numinis cultum funditus extructa, instaurata ægrorum, ac pauperum

B 2

re-

(f) Epitaph. sup. allegatum. (g) Publicam fidei professionem in manibus Emin. Elect. Moguntini, & Ep. Bambergensis Bambergæ Anno 1707. edidit Augustissima Imperatrix.

receptacula , Ecclesiastici census aut inquis possesto-
ribus, aut, quibus tenebantur, vinculis erepti, Ordinis
tui æraria alieno ære liberata, constituti, qui in subditis.
Tibi locis populum reficerent, Divini Verbi Præcones,
& congruō laborum præmiō ad pastorales curas in-
citati ; hæc Tuum in Religionem , & Ecclesiam Ze-
lum vehementer quidem commendant , minimè ta-
men satīs deprædicant. Modicum tibi videbatur,
quidquid ijs in locis egisti, ubi, quod fervor Tuus in
votis habuit, imperare licuit. Quæ apud Reges ,
apud Principes fide , & voluntate à Romanis sacris
avulsos , pro his præstitisti , hæc sunt , quæ Tua in
Ecclesiam merita summum in fastigium extollunt :
quòd , quæ priùs latere debuerant, publicam in lucem
prodeant, quòd ex hac vita, vindice scelerum morte,
decedentibus sacerdotis Romani opera indulgeatur ,
quòd certissimis Religionis Christianæ auxilijs fideli-
bus succurratur, quòd disperso per Daniam , Holsa-
tiam, utriúsque Saxoniæ Circulum , & Septentrio-
nem omnem , gregi Catholico , Viris Apostolicis
bene provisum fuerit , quòd his in ovium subjecta-
rum solatium, ac adjumentum majora licuerint, id vi-
gilantia , id Tuæ plurimum tribuendum industriæ.
Gravissimas etiam inter Imperij curas præcipuam in
id solicitudinem contulisti , ut devinctis svavitate ,
ac dexteritate Tua Regum, Principumque animis, ab
illis vel assentientibus, vel permittentibus id obtine-
res,

res, quod pro veræ Religionis augmento faceret. Ab-
rumpo plurima, & prolixam, quam Zelo tuo debe-
rem, laudationem unō verbō complector, quo Te
Apostolicæ per Septentrionem Millions vigilantissi-
mū simul, & Zelosissimum *Protectorem* suum compel-
lant. Tantum nomen, cùm facundiam meam supereret,
is, quem supremus Ecclesiæ Pastor in fidei propaga-
tionem congregatum tenet, sacer Cætus declaravit,
dum tibi ante collatam Purpuram, pro Tuō in Religio-
nem studio, Apostolicis literis solennes gratias dixit. (h)

Tanta Domūs antiquissimæ merita, nec Romana
Ecclesia, nec Romanum Imperium dignis honoribus
carere voluit; Illa vel præcipuas insulas Domui huic col-
لات, suavissimō gaudiō intellexit, & pronissimo assen-
su, concordem votis suis eligentium voluntatem, ratam
habuit, vel Nomen vestrum per plurimas Germaniæ
Ecclesiæ ad eminentiores sedes extulit. Hoc in pub-
licis comitijs Sessionis, ac Suffragij jura contulit, ad
splendidissima munera admovit, negotia summè ardua
commisit, ad primorum Principum dignitates evexit,
Potentiam Vestram amplissimis ditionibus auxit, & in
publicam meritorum contestationē Imperiale Aqui-
lam singulari prorsus, quem nemo aliis expetere au-
deat, favore, insignibus vestris *Ferdinandus III.* infe-
ruit. Habet hic Domus Vestra scutum impenetrabile,
quo livoris, & invidiæ tela retundat, dum Cæsar is sa-
pientissimi justissimam de Vobis æstimationem univer-
so orbi obtendit.

Au-

(h) *Brev. Apost. Sac. Cong. de Propag. ad Emin. datum.*

Studia, & favores, quos in Tuos subinde diviserant, in Te, *Damiane Hugo*, in dignitate, cui publicam hodie gratulationem devoveo, Ecclesia, & Imperium conjunxere. *Fridericus Augustus Rex Serenissimus*, simûlque Imperij Romani Elector Potentissimus meritorum Tuorum famâ, quæ omnem hactenus Germaniam, Vaticanum etiam implevit Sacrarium: *Clemens XI.* sanctissimus Pontifex dignitatem omnem, quæ infra Romanæ Ecclesiæ Principem esset, imparem ratus, solam Puram par Virtuti Tuæ præmium invenit: *Carolus VI.* Cæsar Max. quâm pronâ voluntate decretos Tibi honores respiciat, publico hoc in Confessu declarat. Perge igitur Princeps Eminentissime! quod Te Cæsarea vocat dextera. Unum propè lustrum effluxit, quod Sacratissimo Vertici, Germanici, & Romani Imperij Coronam *Lotharius Franciscus* imposuerit: reddit jam vices Majestas Clementissima, dum Te Nepotem dignissimum, summæ dignitatis insignibus coronat. Quod in tanti favoris memoriam rependas, Imperio, ac Ecclesiæ optabilius non inventio, quâm sincerum illud Magni Patrui Tui votum, quod Is coronatæ à se Majestati in Francofurtensi D. Bartholomæi Basilia, cum ardente astantium omnium assensu ad aras contestatus est: precari se Deum opt. Max. inquietabat Præsul Eminentissimus, servaret Cæsa in vitam in sæcu'la, servaret sibi eos in annos, quibus Augustam sobolem, nasciturum Archi-Ducem, in

Ger.

Germaniæ Regem coronare liceret. Spem modo fa-
ciunt Superi: repetamus vota , & intermissis nunquam
precibus cœlum urgeamus , dum in publicam bono-
rum omnium lætitiam , in Austrïæ augmentum , in
Romani Imperij & Ecclesiæ salutem, utilitatem, ac
incrementum, Germani , & Tanti pectoris
desideria compleat.

D I X I.



DIX